DE DYSENTERIA INAUGURALIS DISSERTATIO QUAM IN PERANTIQUA...

Bartolomeo Tescari

DE

DYSENTERIA

INAUGURALIS DISSERTATIO

QUAM

IN PERANTIQUA AC CELEBERRIMA

C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PRO CONSEQUENDA

LAUREA DOCTORIS IN MEDICINA

LEGIT

BARTOLOMAEUS TESCARI

VICETINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIX.

PROOEMIUM

Finis praecipuus studiorum et laborum ille est, qui tandem ad metam aliquem perducit. Quapropter vobis, Rectori magnifico, Directori praestantissimo, Decano spectabili, Professoribus sapientissimis gratias agam die ista, qua non meis meritis nec scientia, sed vestra benevolentia summos in medicina honores obtineo. Non mihi si centum linguae oraque centum adessent, aequare tantas possem pro munere grates: sed quid agam, quid dicam, quomodo vobis satisfaciam beneficio isto? Merita vestra nunquam delebit oblivio. Quum igitur, sicuti jubent leges academicae, argumentum seligerem, et typis mandarem, de dysenteria speciatim disserere cogitavi, quam meis infirmis viribus conatus sum demonstrare

hac occasione. Sed eheu mihi cum langueant vires, quid proponam, quod vobis notum non sit? Quomodo potero coram vobis argumentum sustinere? Benevolentia vestra sola est, cui spes mea innititur, et ista incensus accedo, vosque precor ut humillimum candidatum humaniter audiatis.

DE

DYSENTERIA

I.

Profluvium cum dejectionibus frequentibus mucosis vel sanguinolentis retentis plerumque faecibus alvinis, torminibus, atque tenesmo dysenteria audit.

II.

Qui laxo corporis habitu donantur, uti infantes et aetate provecti, prae aliis ad dysenteriam sunt proni; hinc facile patet, qui alias eam sunt passi. Proclives ad eam faciunt animi pathemata deprimentia; tum nocturnum frigus, et humiditas, quae sat intensum diurnum calorem excipiant; hinc cur aestatis sub fine in serum autumnum frequentius grassetur.

III.

Carcerum, et Nosocomiorum aer sat accurate non renovatus, putridae exhalationes a corruptis substantiis manantes, fructus immaturi, victus pravus, liquorum fermentantium

abusus inter occasionales dysenteriae causas recensentur. An et contagium inter ejusdem causas enumerandum? An et fructus horraei, uti vulgus solet, culpandi?

IV.

Quod vero pertinet ad dysenteriae essentiam, seu causam proximam, quidquid ab aliis de hac traditum sit aut excogitatum, neminem certe vobis vitio vertere putamus, si clarissima virorum auctoritate suffulti non minus, quam hujusce morbi symptomatibus, et cadaverum extispiciis innixi ipsam in intestinorum, praesertim vero coli, et recti mucosae membranae phlogosi reponendam esse statuamus, vel ut alii malunt, tanquam horum intestinorum, catarrhum dysenteriam consideremus.

V.

Dysenteria porro modo phlogisticae, modo nervosae diathesi sociata incedit, modo in initio phlogisticam, in progressu et versus finem contrariam diathesim ostendit; hinc varius pathematum apparatus. Quoties igitur phlogistica stipatur diathesi dysenteria, tunc a frigore, vel perfrigeratione incipit, calore acri cito succedente: pulsus sub initio plenus, et magnus tangitur, postea contractus et durus, semper vero frequens; tormina modo huc illuc per dolentissimum abdomen vagantur, modo circum-

scripta sunt. Interea vehemens in recto intestino, perinaeo, vel in ipso urethrae canali ardoris sensus se prodit, quem excipiunt tenesmus, non raro dysuria, stranguria pauco et flammeo lotio succedente, lumborumque dolore. Horum pathematum saevitiem saepe levat sanguis copiose interdum ex ano prosiliens. At ubi ex praepostera methodo vel incuria malum increvit, et phlogosis intestinorum in gangraenam versa sit, tunc arida fit lingua, pulsus parvus, contractus, inaequalis, singultus ac vomitus consequuntur, faeces copiosae foetidissimae inscio aegro dejiciuntur, meteorismus, exterminatum frigus, algidus sudor, lipothymia succedunt, morte breviter scenam claudente.

VI.

Quum febrem nervosam sibi junctam habet dysenteria, aegri viribus cito labentibus, pulsus debiles, inaequales tanguntur, urina pallida, tendinum subsultus, artuum tremores, somnolentia, delirium, singultus, dirus tenesmus, lipothimiae, aliaque similia pathemata apparent. Nec rarum est petechias, vel miliaria tunc temporis se prodere, ac materiem saniosam, aut solutum sanguinem tanta copia interdum egeri, ut brevi conclamatus morbus evadat. Quod si mitius saeviat, aut opportuna praesidia feliciter cesserint, imminutis sensim

pathematibus faeces magis figuratae dejiciuntur, brevique morbus absolvitur.

VII.

Sive phlogistica, seu nervosa diathesi morbus stipetur tria generatim stadia, et quidem sat distincta in ipso adnotantur. Invadit scilicet dysenteria modo ab horrore, modo a frigore sat notabili ad plures horas protenso, cum torminibus, tenesmo: alias incipit a diarrhaea copiosa cum ponderis ad ventriculum sensu, anorexia, vomitu. Quibusdam alvus crebra, et liquida per duos, tresve dies perstat, dein omnis supprimitur faecum evacuatio, ac dirior evadit tenesmus. Haec ad septimum circiter diem perstant; hinc altera inchoat periodus, in qua dejectiones, liquidae mucosae, vel sanguinolentae, vel rubroflavae apparent, vel a muco sanguineis striis intersperso factae speciatim quum sub magnis conatibus egeruntur. Sub vehementibus his nisibus prae primis in pueris proctocele contingit, quam, ni prompta taxis succurrat, gangraena brevi excipit; verum tertio adventante stadio omnia morbi pathemata mitescunt, imminuuntur, aut silent tormina, liberior fit alvus, atque dysenteria in simplicem diarrhaeam videtur conversa. Interim notandum, non semper haec omnia regulari ordine procedere; quo fit, ut dysenteriae

duratio modo decimam quartam diem non excedat, modo ad vigesimam, et ultra extendatur, nec raro in chronicam etiam transeat aegritudinem.

VIII.

Ad rationalem quantum fieri potest dysenteriae prognosim assequendam tum causarum, quae ipsi ortum praebuere, tum tempestatum, epidemicae constitutionis, febris indolis, peculiaris corporis habitus, tum tandem symptomatum, et ordinis, et intensitatis maximam esse habendam rationem omnibus constat. Hinc si dysenteria epidemice saeviat, si gravis sit, et cum nervosa febre conjuncta, si tenerior aetas, aut nimis provecta, si langueat corporis vigor, aut a praegressis morbis fractus, plurimum erit pertimescendum. Gravidis, atque puerperis ipsa est ominosa. Mali ominis etiam erunt dolores abdominis atrocissimi, singultus, meteorismus, maculae in cute apparentes lividae, vel atrae. Quod si hisce omnibus signis repentina dolorum feriatio succedat, una cum ceteris gangraenae signis, tunc de aegri salute desperandum. Contra faeces copiosae, pultaceae, una cum doloris moderamine, cutis mollis, sudore copioso aut viscido madida, urinae faciles, aeris ex intestinis strepens exitus bonum omen portendunt. Quemadmodum vero

succedente arthritide, uti et ophthalmia dysenteriam levatam observationes demonstrant; sic pariter (quod clinicorum considerationem meretur) dysenteria superveniente graves alios affectus levari posse, non est cur dicamus. Jam enim habemus ex divino Sene: „Lienopis dys„enteria superveniens bonum: ab insania dys„enteria superveniens bonum: sanguis, et strin„gimenta per alvum rejecta eos, qui antea fue„runt, morbos tollunt, inveteratos quidem spa„tio temporis majore, recentes vero etiam pau„cis diebus levare possunt „.

IX.

Natura causarum, tum varia morbi indole probe perspectis, non unicam, sed variam esse debere dysenteriae curationem facile eruitur. Ideo neque semper debilitantia, neque semper tonica et stimulantia ad eam curandam aptari sat luculenter apparet. Recte igitur Stoll docuit: „Non omnis dysenteria vomito„rium aut purgans admittit: nullae enim solo „opio, et praelectis sudoribus curantur: quae„dam aliae non multum intra initia provectae, „potu tepido et emollienti comprimuntur, quas „evacuans remedium exasperasset: atque alias „phlebotomia sanat, eaque repetitis vicibus in„stituta „. Consentaneum itaque rectae videtur rationi, tum diathesi, tum complicationibus

variis, tum etiam morbi intensitati curationis methodum accommodandam esse.

X.

Haec quum ita sint, ubi juvenes, et firmo temperamento praeditos homines corripiat dysenteria, ubi cum febre inflammatoria incedat sociata, tunc methodus antiphlogistica pro re nata instituenda. Verum etsi generatim hanc utilem experientia probet, variam tamen eamdem pro adjunctorum varietate esse debere praxis ipsa confirmat: hinc alias venae sectione, et iterata etiam inchoanda curatio: nonnumquam venae sectione blanda purgantia anteponenda, uti tamarindorum pulpa. Interdum emetica propinanda; alias diluentia praescribenda, quorum omnium opportunum selectum exercitatum clinicum docere nemo non videt. Persaepe fotus tepentes ex lacte, intra quod malva fuerit incocta, aut ex decoctione lini seminum parati ad saeva intestinorum tormina compescenda utiles se praestant, quo etiam spectant clysteres ex iisdem decoctionibus, aut lacte pro opportunitate parati in quibus ovi vitellum, aut gummi arabicum, aut mucilaginosae substantiae solvantur. Hisce peractis, ac dysenteria mitiori facta, blanda diapnoica, uti infusum florum sambuci, camomillae, similia; vel excitatus fotibus aut frictionibus levis su-

dor omnem curationis paginam saepissime absolvunt.

XI.

A proposita non parum abludit curatio dysenteriae cum apposita diathesi junctae. Hanc, si mitis sit, sudorifera, Stoll speciatim notante, non infrequenter devincunt. At quoties gravis sit morbus, et debilitatis pathemata urgeant, tunc festinanter ad tonica, et roborantia confugiendum, quae et fractas vires erigant, et simul cutanei exhalantis systematis actionem intendant. Fotus aromatici abdomini appositi tormina imminuunt; at saevi dolore, ita docente Princle, speciatim ubi fixi sint, ex vesicante dolenti loco apposito tentandi. Opiata tonicis nupta in summa virium ataxia, si dolores saevissimi vigeant, non negligenda tum intus sumpta, tum clysteribus recepta.

XII.

At si hactenus recensita in prima morbi periodo utilia se praebent, actuosiora profecto requiruntur in altera; hicque casus est, in quo cortex simarubae, radix columbi, contragerva, serpentaria virginiana, ipsaque china-china maximis laudibus merito evehuntur. Verum etiam in dysenteria cum nervosa diathesi conjuncta, si morbus evidentia, et cer-

ta colluviei gastricae signa prodiderint, emetico, vel purganti non erit parcendum.

XIII.

Verminationem in dysenteria frequenter evolvi clinicis notum; ubi igitur de vermium praesentia certa se prodant signa, tunc Frank, aliorumque consilio ad anthelminthica cito confugiendum. Vermibus enecatis, vel opportune evacuatis, tonica tum et adstringentia usurpanda; caute tamen cum postremis hisce remediis mercandum, quippe metus est, ne citius, quam par est, suppressa evacuatione, violenti ventris dolores exurgant, et febris vel praesens augeatur, vel nova excitetur.

XIV.

Latius in tempus excurrens dysenteria maximam inducit intestinorum laxitatem, ac tonum eorumdem plurimum infirmat; hoc in casu valdopere se commendant roborantia; eminent inter ista ferrum, et cortex peruvianus. Utiles hisce in rerum adjunctis se praestitit ipecacuanhae pulvis minimis dosibus, et sub decocti forma porrecta, aut sola, aut aliis roborantibus, opio etiam sociata. Hinc cur pulvis Doweri merito commendetur. Absit tamen, ut ipecacuanham pro dysenteriae specifice habeamus.

XV.

Morbo devicto, recidiva omni vi praepedienda. Id obtinemus accommodata diaeta, atmosphaerae vicissitudinibus, atque sedulo devitatis causis, ex quibus in debili praecipue individuo morbus gigni solet, namque multo facilius ex iis ejusdem recidivae iter paratur.

THESES

I.

Dysenteria procedit ab inflammatione membranae mucosae intestinorum praesertim coli et recti.

II.

Phlebotomia, ipecacuanha cum opio veluti specifica contra dysenteriam consideranda sunt.

III.

Habetur secretio lactis absque febre, ergo febris lactea admittenda non est.

IV.

Non interest tantum naturam morbi dignoscere, quantum causas.

V.

Ubi morbi natura investigare fas non est, tunc contra effectus diriguntur medicamina, quae a juvantibus et laedentibus eliguntur.